



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

XM.00298.-

K36 g 206

A. Wieling,
Oratio
de finibus Jurisprudentiae
regundis.
Fran. 1737.

ABRAHAMI WIELING,

Icti & Antecessoris,

ORATIO


de

FINIBVS IVRISPRVDENTIAE
REGVNDIS.

Habita kalendis Iunii


cIc Icc xxxvII.

Quum ANNVO abiret MAGISTRATV.



F R A N E Q V E R A E.

Excudit GVLIELMVS COVLON, illustris
Frisiorum Academiae Typographus.



S E R E N I S S I M O
ARAVSIONENSIVM ET NASSA-
VIORVM PRINCIPI,
G V L I E L M O IV.
LIBERTATIS; RELIGIONIS,
OMNISQVE ERVDITIONIS
VERAE, NON SIMVLATAE,
HEREDITARIO AC SVPREMO
VINDICI.

* 2

Quo

D E D I C A T I O.

 Vobis gentium antiquissimas pie admodum factitasse legimus, PRINCI-
PVM OPTIME; ut non illorum solum memoriam publicis ad posteros monumentis consecrarent; qui vel internecivo patriam malo liberaverant, vel ingenti adfece-
rant beneficio; verum etiam Deos sibi Tutelares constituerent eos; qui vel nascentem legibus civitatem fundaverant, vel qui crescentem aliqua Numinis imbuerant religione; vel florentem denique fortiter tutati fuerant: eodem sane instituto, ab avita maiorum pietate derivato, omnes omnino Belgas inter Foede-
ratos

D E D I C A T I O

ratos boni, erga TE, GENTEM QVÆ TVAM, tantæ liberatricem Reipublicæ, & conservatricem, cum maxime celebrantur: FRISII in primis TVI, quorum uti maiestatem nova quotannis repraesentant comitia; ita omnibus eorum negotiis, cum belli tum pacis, terra marique, summa cum auctoritate IPSE praees, altaque velut ex specula provides, ne quid amantissima TVI Civitas, in partibus eius rite administrandis, detrimenti capiat.

Curae vero huius tantæ, tamque multiplicis, secundum leges fundamentales in TE, EMINENTISSIME PATRIAЕ PA-

D E D I C A T I O.

TER, collatae, quum particulam
non minimam ad studia quoque
artium liberalium, nostraque fo-
latium Academiae, gratiose patia-
ris descendere; interque cultores
optimarum scientiarum alios, &
meae quoque tenuitatis conatus,
longe infra mediocritatem subsi-
dentes, haud plane indignos cen-
seas, T V O quos clementissimo
patrocinio tuearis foveasque;
idcirco nec a meo alienum offi-
cio putavi fore, si quum alio in
praesens munere non possim, ora-
tione saltim hac qualicunque,
Iuris Naturalis & Publici materi-
am haud ignobilem complexa,
perpetuam piae erga TE devo-
tionis observantiam testarer; Si-
deris-

D E D I C A T I O N

derisque mihi tam benigni numen, Musis porro nostris proprium poscerem.

Faxit Deus Optimus Maximus, ut neque Foederatae Belgicae, ad regiam hodie potentiam, invicto Maiorum T V O R V M robore, feliciter evectae, HEROES unquam desint AV RIACI; neque tantis pristinae libertatis Auctoriibus grata unquam desit Respublica; unoque in GVLIELMO QVARTO, Priorum virtutes Trium, publico diu bono, publice ab omnibus agnoscantur, colanturque!

Det denique Divinum Numen, ut Academia haec nostra T V O, MAGNIFICENTISSIME

D E D I C A T I O.

ME CVRATOR, supremo ful-
ta praesidio, semper libera, sem-
per venerabilis, reapse praedice-
tur; utque profana tandem literis
cedente invidia, publicas immu-
nitates, iura, & privilegia, sibi
etiam nunc per tot manus tam
sancte tradita, ad feros usque
posteros, integra atque illibata
transferat! Ita precor, ita voveo,

SERENISSIMAE CELSITVDINI

T V A E

*omni fide, cultu, atque
obsequio devotissimus,*

ABRAHAM WIELING.

VIRI MAXIME VENERANDI, CONSVL-
TISSIMI, EXPERIENTISSIMI, ACVTIS-
SIMI, CLARISSIMI, DIVINARVM, HV-
MANARVMQVE LITERARVM PRO-
FESSORES CELEBERRIMI, COLLEGAE
CONIVNCTISSIMI.

QVI AMPLISSIMO SENATVI ES AB A-
CTIS, VIR SPECTATISSIME.

SACRAE THEOLOGIAE, ET IVRISPRV-
DENTIAE, LECTORES ERVDITISSI-
MI.

QVOTQVOT PORRO, VEL NATALIVM
SPLENDORE, VEL DIGNITATVM
LAVDE IN REPVBLICA EMINETIS,
VIRI NOBILISSIMI ATQVE AMPLISSI-
MI.

VERBI DIVINI PRAECONES FACVNDIS-
SIMI.


CIVES, HOSPITES, AVDITOES, OM-
NIS ORDINIS AC LOCI, HONORATIS-
SIMI.

A

VOS

2 DE FINIBVS IVRISPRV-

VOS DENIQVE FLORENTISSIMI IVVENES, FVTURA MOX PATRIAET ECCLESIAE DECORA, NOSTRA IAM GAVDIA, NOSTRAE DELICIAE.



Vemadmodum in quo vivimus, corrupto generis humani statu, prima illa vitiorum labes , malorumque fomes omnium ΦΙΛΑΡΤΙΑ , plerisque mortalium facile persuasit ; unumquemque sibimet proximum a natura esse, suasque adeo utilitates commodis quorumcunque aliorum , nullo non tempore ac loco , anteferre oportere : ita quoque non potuit non ,
opi-

opinione tam blanda imbutus semel animus, hoc pestilenti velut fidere adflari, inficique; ut quae studia unusquisque professa magis opera attingere incoepit, etiamsi re sint inanissima, & fuso tantum verborum speciosa; tamen, auctore PLINIO, ea quam amplissima existimari, ceterisque omnibus longe praestantiora haberi velit. Quotus enim quisque eruditorum hominum iam est, qui suam ipsius artem, vix leviter saepe delibatam, reliquarum omnium, etiam sibi maxime incognitarum, facile principem ac reginam esse, omni pudore procul, iactare non audeat? Et ne de quatuor illis sublimiorum disciplinarum classibus; *facultates vulgo*

4 DE FINIBVS IVRISPRV.

vocant; deque ambitiosa, earum inter
antistites, praecedendi lite, verba jam
faciam: quem vestrum, AVDD. fugit,
inferiorum quoque scientiarum singulas,
superiorum exemplo, in factionem haud
unam distractas, quendam in ceteras
five sorores five socias principatum,
maximis saepe animis, nec publico
sine ludibrio, affectare ausas fuisse?
Quem denique minorum etiam gen-
tium literionem; eo saepenumero ad-
rogantiae proiectum, ut studiorum
mediocritatem a se omnem remotam
esse serio existimet; unquam puduit,
vanissimo nomini suo, & quo nihil stul-
tius, superbae imagini, egregium illud
HOMERI dictum, nobilissimis heroum
filii

filiis a poëta consecratum , publice adscribere? Ἀιὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπερίσχον ἔμμεναι ἄλλων.

Tum vero omnem facile admirationem super esse iturum puto , non deesse etiam nunc viros eruditos , nimio sectae , quam semel tuendam suscepérunt , studio ita abreptos atque occaecatos ; ut quas in viro vere docto ipsimet alibi dotes ultro agnoverunt , multaque sermonis facundia publice concelebrarunt ; eas alio mox loco , caussae cupide servientes suae , fabulosis Africae interioris monstris , splendideque confictis Herculis non unius laboribus , adnumerare non dubitent . Si quando enim de universae artis literariae , qua maximo iure suo publice cen-

A 3 feri

6 DE FINIBVS IVRISPRV.

feri amant, amoenitate atque utilitate, eloquentiae suae vela pandere incoepurunt; nihil fere est, quod inculcare soleant diligentius; quam artium liberalium, scientiarumque omnium, commune quoddam ac naturale vinculum esse; earumque Divas praefides, iuncto quasi agmine, festivos per iuga Pindi exercere choros; manibusque inter se nexit, Gratiarum instar, alterno terram pede tripudiantes quatere. Idem vero, tam diserti modo panegyristae, sic ubi forte in scientiae, a sua quam profitentur aliquantum alienae, doctores publicos, tum superstites, tum vita iam functos, iure an iniuria? invehi decreverunt: Dii boni! quanto animi elatio-

elatioris fastu; quanta sententiolarum vanitate, & acuminum frigore; quanta denique verborum acerbissimorum insolentia; ut supereminens, quod vennantur, encyclopaediae dominium, sibi adsentantis vulgi stupore delatum, si non iure, saltim facto, tueantur; adversum alios, contra hiscere forte ausos, calumniosa finium regundorum iudicia, sine formula, sine lege, irataque Nemesi, exercere conspicimus?

At vero non in solos, ne erretis, placidum genus philosophos haec faba cuditur, qui studia vere dicta humaniora, suae in primis disciplinae partes esse, moralemque omnem sapientiam complecti, iure quidem, sed frustra contendunt;

non

8 DE FINIBVS IVRISPRV-

non, inquam, eos solos suis se se ferdibus involvere, literas vero meliores sibi, iure quodam monopolii, iubent relinquere: latius multo calumniarum serpunt contagia. Etenim & Iuris Antecessoribus, ne de aliis iam agam, criminis nescio cui, gravissimo certe, ab iisdem vertitur: quod non **Romani** solum **Iuris** illustrandi caussa, in linguam, in ritus, & historias, principis gentium populi, se se altius penetrare audeant; verum etiam, quod in Iure Publico Sacri **Romani Imperii**, tum aliorum per Europam regnum, rerumque publicarum, medii potissimum aevi monumenta, nostrique temporis annales, data opera excutere; quod item in Iure Canonico Palis

palis hierarchiae arcana, eorumque haud raras alibi reliquias, passim detegere; cleri quoque propria omni ævo vitia, hypocrisin, avaritiam, fastum; quaeque inde oritur, furiosam in dissentientes tyrrannidem; veris coloribus repræsentare: omnem denique de honesto & iusto doctrinam; illa opima orientis spolia, à Graecis Romanisque, hereditatis velut iure, ad nos propagata; suum in forum traducere non dubitent: haud alia, uti criminantur, quam angusti Legum territorii, de usu & habitacione; de superficie; de tritico, vino, oleo; de stillicidio; & de glande legenda; cum nobiliorum, id est suarum, detimento scholarum, proferendi causa.

B

At-

ro DE FINIBVS IVRIS PRV.

Atque hæc, AVDD. quotidianæ sum
quiritationes nostri iam temporis suffe-
nerum, qui non alio fere pacto, aliena
in criminis, proprias transferre cul-
pas amant; quam quo in nebula illa
Treviris picta, apud AVSONIVM,
amatrices heroicae cruci adfigunt Cupi-
dinem, sibimet ignoscentes, & ple-
ctentes Deum. Sic suum profecto er-
rorem unicuique a natura attributum
videmus: quotus vero quisque est, qui
in semet ipsum tentet descendere? quo-
tusquisque illud videt manticae, quod
in tergo est? Quanto rectius, AVDD.
illi eruditæ vetustatis principes, unam
rerum omnium, studiorumque sapien-
tiæ, esse tradiderunt? illam nempe ve-
ri &

ri & boni, per magnum naturae, ut ita loquar, corpus late diffusum, simplissimam cognitionem: quae, procerae velut arboris in altum exsurgens trun-
cus, in totidem sese ramos feliciter e-
volvit, quot rerum veritatumque na-
turalium distincta sunt genera, quas
ad fidua meditatione mens capere huma-
na possit. Quemadmodum enim ma-
re, quod hic Germanicum, illic Bri-
tannicum, alibi Indicum, vel Atlanti-
cum, a litoribus, quae adluit, adpel-
latur; totum unus idemque est ocea-
nus: ita prosectorum humanae quoque
scientiae, sive Divini cultum Numinis,
aeternaeque viam salutis praemonstrant;
sive integrarum saluti civitatum, seu

B 2

vale-

valetudini consulant singulorum; sive
denique solido rerum naturalium intel-
lectu, ac moralium praeceptis officio-
rum, mentem nostram poliant perfici-
antque; unam omnes Sapientiam con-
stituunt: cuius in exhausto veluti fon-
te, omnes artium, scientiarumque o-
mnium, fluvii, ramnes, rivi, in per-
petuam humani generis utilitatem, nun-
quam exarescentes, lapsu continuo sca-
turire, diffundique non desinunt.

Verum enim vero, sicuti, ut verbis
utar Poëtae, non omnis fert omnia tel-
lus; hic segetes, illic veniunt felicius
uvae: ita nec omnia omnibus ingenia
artibus rite capiendis apta esse, fa-
ciles largimur; providentissimo uti-
que

que Numinis consilio, ut quod totum singulis deesset, ab omnibus praestaretur; mutui inter homines amoris, benevolentiae, atque amicitiae, ab natura constitutae, fovendae promovendaeque causa. Quapropter, veluti in corpore humano membra, qua similitudine SENECA M imitatus lubentissime uitor; variis quidem singula, diversisque usibus naturaliter seruiunt; in totius tamen corporis salutem omnia conspirant: vel quemadmodum una in civitate, civium singuli, suis quique officiis, aliis aliis, bono publico perfunguntur; eadem sane ratione, inter verae candidatos eruditio nis rem omnem geri oportere, quis vestrum quaeso, AVDD.

¶ DE FINIBVS IURISPRV.

non videt? isthoc enim pacto, omnes
artium liberalium studiosi, unius Sapien-
tiae templi, in arce naturae a natura ipsa
collocati, totidem pontifices ac sacer-
dotes viderentur; quorum suas singuli
partes, in interiore communis Divae
sacrario, pro virili sua, omnique pro-
cul invidia, odio, suspicione, implere
conarentur. Et quanquam, unanimi e-
ruditorum consensu, ambigi nequaquam
possit, in utriusque generis studiis, cum
theoreticis, tum practicis, quendam
velut orbem esse, concentumque disci-
plinarum omnium; neque adeo unius
scientiam, absque mediocri reliquarum
notitia, veram ac solidam adquiri a quo-
quam posse: verum tamen exploratissi-
mum

num quoque; extraque omnem dubitationem esse positum censeo; suis unamquamque disciplinam, & propriis principiis, fundamentisque velut essentialibus inniti; quaeque idcirco accurate admodum sollicitaque indagari discernique necesse sit; ne alioquin ex luce in tenebras, ordinataque compositione antiquum in chaos relabamur: frigida ubi pugnant calidis, humentia siccis; mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Liceat vero mihi, AVDD. pace veftra, uno tantum exemplo rem omnem complecti. Quantum quæsto detrimen-
ti, iam a primis rei Christianæ incunabulis, cum Ecclesiae tum Reipublicæ
non

non attulit, illa duorum lumen, Naturae & Gratiae, sive Rationis & Fidei, malesuada confusio? Vna haec utique, maximo suo merito, omnium fere haeresium, sectarumque, foecunda audit mater. Hinc quoque duo illa verae religionis praecipitia, gurgites, & scopuli; Scyllam & Charybdin diceres; exorta videntur: gemina, AVDD. praeiudicia intelligo, unum auctoratis, praecipitantiae alterum; quae utraque, tot fidelium animarum naufragiis, in aestuoso publicorum dissidiorum freto, infamem istius tempestatis ecclesiam fecerunt. Hinc denique illa Christianorum veterum, ab Apostolica vitae simplicitate, doctaque inutilium fere spe-

speculationum ignorantia, indies defi-
cientium, in Orthodoxos & Mysticos,
nomine magis quam re, exitialis divisio
invasit. Atque utinam aetate hac no-
stra, a malo tam turpi, tamque publi-
ce noxio, viri eruditi ac minime mali,
diligentius aliquanto cavere adsuesce-
rent! Quanquam proh dolor! nova-
turiente, & pugnacissimo hoc saeculo,
ea optanda magis, quam speranda vi-
deantur.

Ad me quod attinet, ex quo univer-
sae Iurisprudentiae studiis publica ma-
gis opera attendere incoepi; virorum
ego maximorum, quos honoris gra-
tique animi caussa nomino, cum no-
stratis **REINOLDI** τοῦ μακαρίου, tum

C illu-

illustris HOMBERGII sequutus con-
filia, id mihi negotii in primis datum
esse credidi; ut cuiusque Iuris fines
paullo diligentius investigare, atque ex-
ruere, paullatim addiscerem; quaeque
ex ordine ac fine totius rerum naturae,
officiorum hauriri praecepta possunt, ea
non a Gentium solum Iure, atque ad di-
vinia apud Moysem legislatione, doctrina
aque Evangelica; verum etiam ab in-
terpolatis a Iustiniano Quiritium legi-
bus; ab hodierno denique fori usu, bo-
nam sui partem ex lacunis Decretalium
derivato, maxima semper religione dis-
tinguerem.

Quum itaque laudabili maiorum in-
stituto, in hac illustri virorum honestis-
simorum

simorum panegyri, verba mihi pro concione facienda iam essent; eam, cuius modo memini, orationis materiam; neque ab hoc loco, ut arbitror, neque a persona, quam gero, prorsus alienam; potissimum delegi, de qua ad vos,
 AVDD. OMN. ORDD. HONORATT. paucis referrem. Dicturo itaque mihi, *de finibus Iurisprudentiae regundis*; vestra humanitate, vestraque benevolentia, adesse ut velitis, etiam atque etiam vos rogo.

Iurisprudentiam quo sensu Auctores nostri, divinarum atque humanarum rerum notitiam adpellaverint, illi demum recte interpretati mihi videntur, qui *philosophiae* eam partem esse, primi

C 2 obser-

observarunt; verae nempe illius, ac non simulatae, qua non unius tantum hominis aut civitatis, sed salus omnium; neque illa minor humani tantum generis, sed longe maxima, Deorum atque hominum, societas continetur; quam Platonicorum quoque veterum sententiam fuisse novimus, viri sapientis officium recte definientium: *nosse divina & regere humana*. Etenim veram verae Iuris scientiae originem, naturam, & usum, explorare & eruere, sine totius rerum universitatis inquisitione, homini penitus negatum est: quum ita cohaerentia, connexa, concatenata sint omnia; ut nisi divinitatis rationem diligenter excusserimus, nesciamus humani-

manitatis ; neque pulchre geri res possint civiles , nisi ante cognoverimus hanc communem omnium Mundi civitatem . *Fines* itaque *Iurisprudentiae* veros ac naturales , si prima ab origine paullo altius inquirere , vel turbatos ab aliis regere , sublatosve restituere placeat ; ante omnia ad aeternum illud divinumque Ius , partim in natura , partim sacris in literis a Deo proditum , fontem illum normamque Iuris omnis humani ; animos nostros , ab adfectuum & praedi- dicorum nebulis rite purgatos lustratosque , adpellere oportebit : eoque Iure diligenter cognito , quantum finitae viribus rationis possumus , ad publica mox Gentium iura , ac denique Civilia ,

C 3 ordi-

ordine haud interrupto, scalaeque ve-
lur regiae gradibus, descendere.

Iuris, in ipsa rerum natura, a Deo Op-
timo Maximo, semel positi, ac tantum
non ingenerati, notitiam, caussam, in-
dolem, & finem, ante hos annos fere
decem, ex sacris hisce pulpitis, oratio-
ne valde properata, leviter me adum-
brasse memini. *Notitiam* eius, ex or-
dine ac fine totius universi, rerumque
in eo singularum, recto rationis usu,
homini illucescere, ibi ostendere sum
conatus. *Caussam* postro istius *Iuris*, ve-
ram, unicam, atque adaequatam, haud
posse aliam dixi, quam divinam a no-
bis voluntatem agnoscere, quippe non
auctorem solum rerum omnium, sed
pul-

pulcherrimi quoque ordinis illius, finis
que decentissimi, quo singula in admi-
randō tanti operis systēmate, etiam mi-
nima quaeque, digesta atque distributa,
magis obstupemus, quam intelligimus.
Indolem vero eiusdem Iuris, in adsi-
duā accurataque ordinis ac finis reūm
custodia, & observatione, consiste-
re monui, atque tria inde naturālēm
officiorū genera proficisci: erga Deum,
genusque hūmanūm, & res c̄reatas ce-
teras, quae omnia nūquāquamque no-
strum, aeternā sua lege, obire Deus
iussit. *Finem* idenque Iuris Naturalis,
non alium, mihi videri adieci, atque
mentis est humanae, id est, aeternam
hominis beatitudinem: quem finem ta-
men;

men ; quia in deteriore hoc statu , vi-
ribus saltim naturalibus , obtinere no-
bis non licet ; a Gratia solum superna-
turali , secundum sacrosancta religionis
nostrae mysteria , peti oportere , impe-
trarique posse , commonui.

Habetis AVDD. nostrae de Iure Na-
turali doctrinae , velut parva in tabella ,
delineatam rudi penicillo imaginem ; si-
ve coniecturam potius , meramque hy-
pothesin ; pluris enim non facio ipse ,
aut fieri ab aliis volo ; neque a nobis
primum inventam , sed olim , iam sae-
culis abhinc multis , a divo Augustino
traditam ; atque a viris egregie corda-
tis , LAMBERTO VELTHVSIO ,
& beato praceptor nostro , BERN-
AR-

ARDO HENRICO REINOLDO,
 novis postea rationibus auctam atque
 illustratam: quaeque, ut interiora animi
 penetralia publice excutiam, non video,
 quare tantam apud' alios, sui ipsorum
 $\pi\alpha\rho\alpha\delta\omega\alpha\delta\gamma\mu\alpha\tau\omega\nu$, turpiter immemores,
 invidiam excitare magis mihi debeat;
 quam plerisque hodie doctoribus, tot
 eiusdem generis hypotheses aliae, in
 omni fere naturalis philosophiae parte
 fingi solitae, excitare solent; verbi gratia,
 ut paucas ex plurimis attingam: illa de
spatio infinito, eique opposito *indefinito*
pleno; illa etiam de *harmonia praestabilita-*
ta; deque *principiis liberis*; tum de *ideis*
rerum possibilium, aliaeque innumerae;
 magis ad conceptus sui cuiusque aucto-

D ris,

26 DE FINIBVS IVRISPRV-

ris, ad captumque dissentium, quam
ad aeternam naturae veritatem expref-
sae.

Ne actum vero iterum agam, unum
tantummodo, plenioris inquisitionis
caufa, vobiscum AVDD. hac hora dis-
putabo: anne scilicet decantata illa; quae
SAMVELI PVFFENDORFIO in pri-
mis placuit, regnumque invito **GROTI-**
O obtainere passim coepit; naturalis ho-
minum *socialitas*, pro uno, vero, &
adaequato, Iuris Naturae principio,
tanto ardore, tantaque fiducia, ven-
ditari mereatur? Evidem nota esse om-
nibus existimo, quae magnus **LEIB-**
NITIVS, aeternum illud Germaniae
meae & princeps decus, in peculiari
hac

hac de re epistola , multis abhinc annis
monuit ; quaeque haud ita pridem , ce-
leberrimus PVFENDORFII interpres ,
in suis ad illam adnotationibus , data o-
pera est commentatus . Missis vero illis
omnibus ; aliorumque me doctiorum
iudicio , uti par est , relictis ; meam qua-
lemcunque opinionem , vestro AVDD.
examini , censuraeque etiam severiori ,
ea qua decet observantia , modestiaque ,
commendabo .

Adpellatione *principii Iuris Naturalis*,
quo artis vocabulo publice iam utimur,
nihil omnino aliud intellectum Docto-
res volunt , quam fundamentalem pro-
positionem , unde omnia , quotquot sunt ,
aeterni Iuris praecepta , hominumque

D 2 in

in quolibet statu officia , sponte sua promanare videntur. Agite itaque , qui cum PVFENDORFIO in alia nunc omnia abitis , ad amissim traditae modo definitionis , tanquam ad lydium lapidem , vestrae causa socialitatis nobiscum exigite ; ea inter nos lege , atque omne ; ut si viris eruditis , extra que partes positis , quales coram intueri iam licet , socialitatem unam omnium naturae officiorum matrem , liquido esse constiterit , ego publice vobis ac lubens vietas porrigam manus : contra vero , si paucis tantum argumentis , ex ipsa rerum natura depromptis , palam videbor evicisse ; minimam vix partem officiorum naturalium , ex vestra illa socialitatis ,

litatis, ut ita loquar, nuce, secundum methodi leges analyticae, elici detegi- que posse; ut sentiendi quidem liber- tate vobis salva, vos meo tantum me sensu, ut ut forte erroneo, absque in- vidia, odio, & obtrectatione, (occul- tam AVDD. intelligo, publicam enim nec flocci facio) uti atque abundare pa- tiamini.

Hominem natura *animal esse sociale*, etsi ab ARISTOTELE dictum non esset, vel sensus communis unumquem- que nostrum facile doceret. Hobbe- sium vero; nimia geometriae suae subti- litate fere insanientem, in utilissimo ce- tera de *Cive* systemate, post Carnea- dem illud negare ausum, ille societatis

D 3 per-

30 DE FINIBVS IVRISPRV-

perpetuus inter homines usus , satis ab-
undequem refellere videtur. Liberaliter
itaque cum PVFENDORFIO , publi-
ceque profitemur ; inter praecepta Iu-
ris Naturalis , & hoc in primis referri
oportere : unicuique homini , quantum
in se est , ineundam colendamque esse
hominum inter homines societatem .
Nulli etiam diffitemur , omnia quae ad
fovendam socialitatem , necessario & in
universum faciunt , Iure Naturali praee-
cepta ; quaeque illam turbant , aut ab-
rumpunt , vetita intelligi . In eo autem
solo , a vulgari interpretum doctrina ,
nos discedere praedicamus , quo scien-
tiam universi Naturae Iuris , una socia-
litatis lege , totam absolvi , terminari-
que

que contendunt; cetera vero Iuris illius capita, nihil aliud esse, quam subsumptiones quasdam, sub illa generali socialitatis norma, eminenter comprehensas; ita ut alios Iuris fontes inquirere, unde officiorum reliqua deriventur, neutiquam sit necesse. Ita illi.

Verum enim vero, cui vestrum AVDD. ex illa, quam bona fide, omniisque calumnia procul modo expressi, adversariorum hypothesi, clarum apertumque non est: mancam illam angustamque nimium quantum esse; famosoque isthoc principio, ab unius custodia societatis petito, pleraque hominum officia, naturali omnibus ratione cognita, velut erga Deum, nosmet ipsos, hominesque
alios;

32 DE FINIBVS IVRISPRV-

alios ; aduersus bruta etiam , ceteraque omnia , in usus humanos a Deo condita , nequaquam contineri ; quorum tamen obligationem , in omnes plane homines , rationis lumine collustratos , suapte vi extendi ; ipsa illorum officiorum naturalis facile cognitio evincit , omnique dubio liberat . Spreta itaque vana verborum argutatione , quae serium veritatis inquisitorem immane quantum dedecet , rem ipsam vobis , omnium quae dixi , testem auctoremque , publice AVDD. dabo , spe fretus certissima fore : vos etiam iniuratos , quod optimorum est virorum , secundum ea , quae inlitis contestationem deducta iam sunt , aequissimam nos inter sententiam pronunciatus esse .

Vnum-

Vnumquemque hominem, usu rationis a natura instructum, sive in societate cum aliis, sive solus secum vitam degat; ad omnem cultum, reverentiam, obsequium, cuius in hac mortalitatis tristi sede capax est, Divino Numinis, sola etiam ratione sibi cognito, habendum praestandumque naturaliter obligari; adeo extra omnem dubitationis aleam esse positum reor, ut vestro AVDD. subactissimo iudicio temere nimis videri possem diffidere; si veritati, suapte natura tam late splendidae, mearum argumentationum facilis praelucere adgrederer.

Nulli itaque non ultiro mecum constare arbitramini, cultum Divinae Ma-

E iestati

ieſtati naturaliter debitum , haud minus quam existentiam ipſius , humanae operationis , facile ab unoquovis intelligi posſe , in quocunque etiam ſtatu poſitus fingatur : contra vero , ſi forte perſuafio iſthaec ex limpido naturae fonte deduci non poſſit , eam fruſtra alios ex turbido ſocialitatis rivulo peti- tum ituros eſſe . Quid ? quod iſsimet adverſae partis patroni , notitiam iſtam Dei , cultusque divini neceſſitatem , non ut a matre filiam inde arceſſendam ; ſed veluti praefuſpoſitum aliquod , ſocialitati tanquam forori , adiungendam eſſe diſtitent ; manifesto fane cauſſae fere deſperatae argumento .

Et quamvis etiam adfirmandum for-
te

te cum illis videatur, conservandae so-
cietati nullum posse vinculum religione
inveniri firmius ac diuturnum magis;
tamen quisquamne vestrum, AVDD.
de vera solum religione istud intelligi o-
portere iudicaturus est? Nemo unus,
opinor. Quam multae enim, ab omni-
aevo, integrarum gentium nationes,
cum in vetere, tum in novo orbe;
quamvis rebus omnibus quam maxime
florerent; vera tamen veri Numinis
cognitione, vel destitutae olim fuerunt,
vel destituuntur etiam nunc? Fuerint
licet, non enim intercedo, per omnes
terrarum populos, nulla non aetate,
viri supra vulgum sapientes, etsi oppi-
do quam pauci, qui & virtute adver-

E 2 sus

36 DE FINIBVS IVRISPRV-

sus alios, & pietate erga Deum, suos inter cives eminerent; longe tamen maxima civitatis cuiusque pars, secundum publicas sacrorum leges, mores, ritusque patrios, idololatriae atque superstitutionis errore, penitus collapsa atque oppressa iacuit. Quid vero interest, AVDD. falsos quis Deos, an nullum colat?

Quam porro frustra, suae stabilientes hypothesi, novam adversarii in praticis studiis distinctionem confinxerint, Theologiam moralem inter & Ius Naturae, dudum est ab aliis animadversum. Neque enim Theologia ista, quam loquuntur, in doctrina de moribus, de honesto, iusto, & decoro; alia

alia secundum rectam est rationem, & secundum revelationem alia : verum tota quanta, ex necessaria hominis ad Deum, aliasque sui similes, relatione, cuivis naturaliter obvia, unice descendens ; legi divinae morali, in sacris scripturis traditae, haud profecto magis, quam lumen lumini, vel Deus Deo, videri potest contraria. Ecquid vero in re tam aperta vobis latius demonstranda operam abutimur? quum publice nihil notius sit, quam ethices Christianae summam, ipso nos docente Evangelio, duobus tantum praecepsis contineri: de sincero erga Deum, & proximum amore; quorum utrumque nobis per naturam etiam solam in-

notescere, locuples auctor Divus PAV-
LVS est: quapropter & alterum dis-
sentientium dogma, prioris illius con-
sequens, simul quoque cadat necesse
est; quo vim omnem potestatemque
Iuris Naturalis, angustis vitae humanae
spatiis circumscribi, totumque termi-
nari statuunt; addita ratione, quam
tamen, ne quid dissimulem, a tantis
viris additam profecto nolle: quasi
communis illa hominum persuasio,
de animae a corpore separatae duratio-
ne, laetoque eius vel tristi exitu; in
qua animus sapientis plane ac firmiter
adquiescat; non a natura & ratione,
unice autem ex revelato Dei verbo,
hauriri percipique possit. Verum enim
vero

vero, in tanta hodie veritatum natura-
lium certitudine ac luce, haec memo-
rasse, credo, refellisse est.

Atque haec AVDD. de officiis erga
Deum breviter repetenda duxi; quae
quamvis in omni hominum societate,
ab unoquoque sint observanda; ad eius
tamen interiorem constitutionem neuti-
quam pertinere; multoque minus ex
laudato iam saepius socialitatis princi-
pio, commode satis deduci posse, per-
abunde mihi ostendisse video.

Ad alia itaque Iuris Naturalis officia
progredior, in statu etiam segregate, a-
liove solitario, a singulis praestanda.
Intueamur quoeso hominem, omni alii-
orum commercio penitus destitutum,
haud

40 DE FINIBVS IVRIS PRV-

haud aliter fere , ac saevis proiectum
ab undis navitam , saxa inter & scopu-
los , inter spelaea ferarum , miserum ob-
errantem ac nudum , periculis vitae
omnibus , morti etiam violentae , quo-
vis momento opportunum , atque ob-
noxium . Quid videtur , AVDD. nul-
lone eum erga Deum officio naturaliter
iam teneri censemus ? ἀνυπεύθυνον eum
& exlegem esse ? Absit vero , ut opinio-
nem hanc , adeo temerariam , vobis vel
casu posse incidere existimem ! Nonne
enim misellus ἐρυμάτις , vel manus in-
ferre sibimet ipsi , frustraque tentatum
dolore spiritum ferro vel veneno
expellere ? nonne quaelibet nefanda
cum brutis patrare ; suove ipsius sexu
ab-

abuti; non denique criminum omnium
crimine longe gravissimo, *βλασφημίας* ad-
versus Deum, sese perditum posse ire
dicendus est?

Dies me, AVDD. & vox deficeret,
si quae desertis in locis scelera, ab ho-
mine etiam solitario, admitti possint, sin-
gula vobis enarrare instituerem. Animū
igitur adversuri iam sumus ad morales
hominum actiones, cum erga semet ip-
pos, tum erga alios; quasque non opera-
tione physica externa, sed intima animi
προαιρέσει, intellectu & voluntate, aesti-
mari oportere, apud omnes testatissi-
mum est; ipsis quoque adversariis dex-
tram nobis porrigentibus. Tantum ve-
ro abest, ut ex uno socialitatis praecép-

F to,

to, actionum illarum tota possit moralitas consequi; ut contra eam ad naturam custodiamque societatis, in se spectatae, externi effectus soli sufficere videantur; ne alioquin, ut **HORATIUS** alibi, remotis legum frenis, vaga profiliat natura. Alterutrum igitur, AVDD. necessum puto; ut vel externae tantum actiones Iure Naturali praeceperae nobis sint; vel ut socialitas adaequatum illius Iuris principium non sit; quum vero prius illud falsissimum esse, antea sit demonstratum; posterius sane, priori contrarium, verissimum sit necesse est. Et egregie **SENECA**, ille virerum Stoicarum magister quam imitator melior: quam angusta, inquit, innocentia

centia est, ad legem bonum esse? quanto latius patet officiorum quam Iuris regulæ? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides, exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt? *Virium itaque bonum, an ne cum poëta definiemus?* omne forum quem spectat, & omne tribunal, qui consulta patrum, qui leges iuraque servat; quo multae magnaue secantur iudice lites; quo res sponsore, & quo caussae teste tenentur? Ita profecto adversarii, si suis abire praeiudiciis indecorum existiment, adfirmare palam tenebuntur. Quanto autem melius idem poëta? Sed videt hunc omnis domus, & vicinia tota, introrsum turpem, speciosum

SOG

F 2

pelle

pelle decora: tum quandoque Deos,
vel porco, vel bove placat; Jane pa-
ter! clare; clare quum dixit, Apollo!
labra movet, metuens audiri: pulchra
Laverna! da mihi fallere; da iusto san-
ctoque videri; noctem peccatis & frau-
dibus obiice nubem. Sic AVDD. tac-
ta plerisque acerra, Diis libare promptius
est, quam voto in templis aperto age-
re. Et quis scaevi hominum ingenii,
animique, non plane ignarus, alio cum
satirico exclamare dubitat? Qam facile
ac primum est, superos contemnere te-
stes, si mortalis idem nemo sciat?

Longe alium *viri boni* charac-
tem expressit, ille Socratico educitus
finu, & fruge nutritus Cleanthea,
poëta

poëta philosophus: cuius non ore vel
gestu; non barba aut pallio, mentita
virtus fingitur; sed cuius omnem vitae,
scelerum integrae, constantemque ra-
tionem, moderatur divinum illud com-
positum ius fasque animo, sanctique
recessus mentis, & incoctum generoso
pectus honesto. Haec sacra illa ancho-
ra est, qua nixus perditis in rebus mag-
nus CATO, bonae usque caussae, e-
tiam profligatae, constantissimus vin-
dex; qui que adeo de ipsis Diis, malae
& victricis caussae favitoribus, trium-
phum omnium magnificentissimum, a-
nimi iustitia, vitae sanctimonia, invi-
ctique pectoris magnitudine, unus re-
portavit.

F 3

Fa-

Faceant igitur ad breves hinc Gy-
ros, parvamque Seriphon, illi male
vulgo appellati *doli boni*; illaque recens
adeo conficta mendaciorum emplastra,
falsiloquia; *fraudesque* impie vocatae
piae; denique illae *pseudo-politicorum*
rationes status, omnium fere publica-
rum hodie miseriarum per Europam
caussae. Sed desino querelarum, filii-
que orationis, tantum non interruptum,
iam repeto. Intellexisse vos arbitror,
AVDD. longe plura, secundum Natu-
rae Ius, viri boni officia patere; quam
ad humanae custodiam societatis, ex u-
na socialitatis lege, requiri videantur.
Si quid autem dubii vestram paullulum
sententiam moretur, ad infandi crimen
in-

incestus, quo nullum aliud detestabilius est, parentes inted ac liberos, quae so respicite; cuius horrorem pia reverentia temperatum, non homini tantum paullo humaniori fana inspirat ratio; sed feras quoque ipfas, illa naturae specula, isthoc Veneris nefas abomini nari solere, plurimaru[m] exemplis edoce mur. Enimvero tantum habest, ut societatis rationi, in se spectatae, tam atrocis foedumque scelus repugnare videatur; ut contra ea Persarum, alienumque gentium, res diu feliciter facis administratae memorentur, isto criminis legibus haud interdicto: ne de impia Magorum religione plura iam dicam, & foediora.

Su-

48. DE FINIBVS IVRIS PRV-

Supereft AVDD. ut ultimo iam lo-
co, sed paucis delibemus; quae Iuris
Naturalis capita, in brutis, aliisque re-
bus, in hominum utilitatem a Deo
proditis, observanda videantur; quam-
vis a vulgari socialitatis praecepto oppi-
do ea sint aliena, minimeque omni-
um deduci ex eo possint. Evidem brus-
tas animantes, resque omnes ceteras,
si paullo a nobis attentius consideren-
tur, non pulcherrimas solum, sed suo
etiam in genere perfectas esse, unicui-
que nostrum manifestissimum esse pu-
to. Neque vero seorsum singulae, sco-
pae velut dissolutae; neque ut casu, ne-
scio quo, missilium instar, vastum per
inane volutae, animo nostro repreesen-
tari

tari debent; verum omnino, ut integrum aliquod, omnibusque numeris absolutum σύνημα, sua constituentes unitate: quo certe modo a nobis spēctatae, ad τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ, ut ait Apostolus, accuratius cognoscenda, ultros invitant, manuque velut blanda ducunt. Finis earum, praeter aeternām aeterni gloriam Creatoris, necessarium que cum toto hoc universo nexus, perpetua humani generis utilitas est; cui omnes omnino inservire, secundum aeternas naturae leges, Ens Perfectissimum voluit. Ex quo etiam totum hominis in res creatas ius, solo earum usū, tum necessario, tum commōdo, a natura contractum esse discimus. Ad super-

G

flua

flua igitur, minusque necessaria, si recte philosophemur, nihil cuiquam iuris est; multoque minus perdere quidquam, aut corrumpere licebit; namque, ut **HOMERVS** alibi, *εὐαγγέλια τὰ θεῶν δῶρα*; nisi si qua nobis, aut aliis forte, noxia esse videbuntur.

Ita Deus AVDD. ita Natura praecipit: ad humanam vero societatem si redeamus, nostrumque in res huius mundi ius, ex eius solius utilitate metiamur, vel damnno; quis quaeso unicuique rerum suarum domino, moderatori, & arbitro, ne suis pro lubitu rebus utatur, fruatur, abutatur, esse interdictum existimat? si modo ex abusu isthuc nihil detrimenti in suam cuiusque civitatem red-

redundare videatur. Ecquis etiam supremorum hodie imperantium, avaritiae, luxui, ebrietati, desidiae, aliisque virtutum pestibus, vel legum frena iniicere, vel fibulas poenarum imponere adgreditur? quanquam proh pudor! nostra hac aetate, leges eiusmodi, ut ut alioquin saluberrimae, malo tam inveterato, atque omne remedium supergresso, frustra forte scriberentur; quandoquidem suadentibus Medicis, a desperatis medicina abstinentia est. Quapropter nec de immani illa, quae in iocum ludumque ferre abiit, in brutas animantes saeviendi licentia, quidquam memorabo: uno Ioannis Sarisberiensis dicto in praefens usurus, inter alia multa ita sribentis in

52 DE FINIBVS IVRIS PRV-

Policratico : quomodo dignus est vita ,
qui nihil aliud novit in vita , nisi vani-
tatis studio saevire in bestias ? Tantum
vero abest , ut publicum haec mala re-
medium , apud plerosque terrarum do-
minos , sperare iam audeant ; ut contra
summis alibi exemplis publice auctora-
ta , nescio quid nobile , & generosis
dignum animabus , spirare censeantur .
O curvae in terras animae , & coele-
stium inanes !

Atque ita tandem AVDD. qua ora-
tionis brevitate potui , Iuris fines utri-
usque , Naturalis & Socialis exposui .
Vsus sum argumentis non longe petitis ,
sed ex intimis naturae visceribus , ut i-
ta loquar , simpliciter eductis , procul
omni

omni verborum ornatus; artisque fugo;
Vestrūm A. V. D. D. iam est; quia intelli-
 gritate atque prudentia soletis; caussam
 a me peroratam cognoscere, cognitam-
 que sententia, quam & naturae veritas
 expresserit; & rationis suggesterit; aet
 quitas; bono publico discingere; li-
 temque adeo hanc omnem in perpet-
 tuum conspire. Evidem animus fue-
 rat, secundum ordinem initio proposi-
 tum, telam orationis integrum, sicuti
 eram exorsus, hac hora perfexere; si-
 nesque tum Iuris Gentium publici; tum
 singularum Civitatum proprii, eadem
 methodo investigare; quia vero legitimi-
 mum dicendi tempus mihi esse exem-
 tum video, materiam quae supereft,

54 DE FINIBVS IVRISPRV-

uni alterive exercitio , si quidem consiliis
nostris Deus adnuat , destinatam servabo.

Prius vero , quam sacris hinc rostris
abeo , ad ea me agenda convertam ,
quae stata huius diei solemnitas postu-
lat ; annuo Academiae magistratu ; quo
adspirante Divino Numine perfunctus
iam sum , publice decessurus . Fasces
equidem sunt fasces , omnisque honos
onus est ; ad me tamen quod attinet ,
bona omnino fide profiteri ex hoc lo-
co possum , non grave , non molestum ;
at placidum , tranquillumque , munus
mihi totum transiisse . Faxit Deus O.
M. ut eadem halcyonia nostrae porro
Academiae propria sint atque perpetua .
Ita enim haec bonarum artium officina ,
tot

tot iuvenum praestantissimorum; pieta-
te, ingenio, eruditione, aetatem non
solum, sed spes quoque parentum no-
strasque superantium; celebritate, in-
dies aucta, nulli Academiarum Belgi-
carum secunda memorabitur; famam-
que sui nominis, libertate & religione
salva, ad seros nepotum posteros laeta
propagabit.

Sed quid ego moror novum Acade-
miae Rectorem, ex kalendis iam Maiis
successorem mihi delectum, publice re-
nunciare, atque ita hoc loco simul, &
iurisdictione decedere? Quod itaque felix
faustumque Deus Optimus Maximus
esse iubeat, Te compello, Vir Celeber-
tate, WYERE GVLIELME MVY-
SI,

SI, Collega Coniunctissime; publice
 iam rogans, ut decretam Tibi, ab Ampl.
 Senatu nostro, supremam provinciam
 quartum suscpias, locumque adeo hunc
 superiorem iure iam tuo occupes. Sal-
 ve illustris Frixiorum Academiae REC-
 TOR MAGNIFICE, tuaeque princi-
 pis apud nos dignitatis publica iam in-
 signia a me accipe: Sceptra, Sigilla,
 Album, nec non Archivi nostri, sed &
 Carceris utriusque claves; totum deni-
 que amplissimi muneris, quod ex ani-
 mo tibi gratulor, adparatum. Ita va-
 le, VIR MAGNIFICE, tuique annum
 regiminis bono cum Deo feliciter trans-
 ige.

D . I . X . I .

Ad paginam 13.

SENECA lib. II. de Ira, cap. 31.

NEfas est nocere patriae: ergo civi quoque; nam hic pars patriae est.

Sanctae partes sunt, si *universum* venerabile est: ergo & homo homini; nam hic in maiore tibi urbe civis est.

Quid? si nocere velint manus pedibus? manibus oculi? Ut omnia inter se *membra* consentiunt, quia singula servari totius interest: ita *homines* singulis parcent, quia ad coetum geniti sumus. Salva autem esse *societas*, nisi amore & custodia partium non potest.

H

Ad

Ad paginam 20 & 25.

SENECA de Otio Sapientis,

cap. 31.

Duas Respublicas animo complectamur:
alteram magnam, & vere publicam,
qua dii atque homines continentur;
in qua non ad hunc angulum respi-
cimus, aut ad illum; sed terminos
civitatis nostrae cum sole metimur:
alteram, cui nos adscriptis conditio-
nascendi; haec aut Atheniensium e-
rit, aut Carthaginiensium, aut alte-
rius alicuius urbis, quae non ad om-
nes pertineat homines, sed ad cer-
tos. Quidam eodem tempore utri-
que

que reipublicae dant operam, maiori
minorique: quidam tantum *minori*:
quidem tantum *maiori*. Huic *maiori*
Reipublicae & in otio deservire possu-
mus; immo vero nescio, an in otio
melius: ut quaeramus, quid sit *vir-
tus*? una pluresve fint? natura an
ars *bonos viros* faciat? *unum* sit hoc,
quod maria terrasque, & mari ac ter-
ris inserta complectitur, an *multa*
Deus eiusmodi *corpora* sparserit? con-
tinua sit omnis & *plena* materia, ex
qua cuncta gignuntur, an diducta,
& solidis *inane* permixtum sit? Deus
sedens opus suum spectet, an tractet?
utrumne *extrinsecus* illi circumfusus
sit, an *toti* inditus? *immortalis* sit

mundus, an inter caduca, & ad *tempus* nata numerandus? Haec qui contemplatur, quid Deo praestat? ne tanta eius opera sine teste sint. Solemus dicere: *summum bonum esse, secundum naturam vivere.* Natura nos ad utrumque genuit, & *contemplationi* rerum & actioni. Conf. CICERO, lib. i. de Officiis, cap. 48. & MINVCIVS, in Octav. cap. 17.

Ad

Ad paginam 24. seqq.

AURELIUS AVGVSTINVS
contra Faustum libro XXI. capite
13. med.

Sic insinuatur prudentibus rerum ex-
aminatoribus, *ordo* quid valeat? quum
scilicet sua cuique adhibentur, atque
redduntur; quantumque hoc bonum
sit? ab *imis* usque ad *summa*; a *cor-*
poralibus usque ad *spiritualia*.

IDE^M libro XXI. capite 27.
ineunte.

Peccatum est factum, vel dictum, vel
concupitum aliquid contra *aeternam*
legem. Lex vero *Aeterna* est ratio di-

H 3 vina,

vina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari iubens, perturbari vetans. Quisnam igitur sit in homine *naturalis ordo*, quaerendum est. &cc.

I D E M d. l. capite 28. sub init.

Peccat, qui delectationem *illiciti* relaxat potius, quam refrenat. Est autem *illicium*, quod *lex* illa prohibet, qua *naturalis ordo* servatur.

I D E M d. l. capite 30. ineunte.

Aeterna ergo lege consulta, quae *ordinem naturalem* conservari iubet, perturbari vetat. ~~Etiam~~ *Lex aeterna*, id est, voluntas Dei, *creaturarum omni-*

*omnium conditoris , conservando
naturali ordini consulens , &c.*

IDEM d. l. capite 61. sub initium.

Consulta quippe *aeterna lex* illa , quae *ordinem naturalem* conservari iubet , perturbari vetat ; non nisi propagationis caussa statuit , hominis concubitum fieri ; & hoc non nisi socialiter ordinato connubio , quod non pervertat vinculum pacis : & ideo prostitutio foeminarum , non ad substituendam prolem , sed ad satiandam libidinem , propositarum , *divina* atque *aeterna lege* damnatur.

IDEM

I D E M d. l. capite LXXII. ineunte.

Quaedam facta, *lex illa aeterna*, quae ordinem naturalem conservari iubet, perturbari vetat, ita medio quodam loco posuit hominibus, ut in eis usurpandis merito reprehendatur audacia, in exsequendis autem obedientia iure laudetur. Tantum interest in *ordine naturali*, quid, a quo, agatur; & sub quo, quisque agat.

BIBLIOTHEEK VRIJE UNIVERSITEIT



3 0000 00471 4105

Digitized by Google

